



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Sacramentum Ordinis

Biesmann, Caspar

Coloniæ Agrippinæ, 1694

Caput II. De numero Ordinum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42240

prohiberi possit per suspensionem vel irregularitatem. Vide Laym. Tr. 2. de Sacram. Ord cap. 1.

CAPVT II.

De numero Ordinum.

Septem à Theologis passim assignantur Ordines : nimirum quatuor Minores, ut Ordo Ostiarii, Exorcistæ, Lectoris, Acolythi, sive Ostiariatus, Exorcistatus, Lectoratus, Acolythatus, & tres Majores, ut Subdiaconatus, Diaconatus, Sacerdotium, quod à nonnullis subdividitur in minus, estque illud, quod simplici Sacerdoti confertur, & in Sacerdotium majus sive Episcopatum : ita ut Presbyterium & Episcopatus non sint duo Ordines, sed unus, qui in Episcopatu extenditur ac perficitur : sicuti non sunt duo Ordines, quando Sacerdos accipit potestatem consecrandi &

Septem sunt Ordines, quatuor Minores, tres Majores.

Episcopatus non est Ordo distinctus à Sacerdotio.

6 *De Essentialibus*

potestatem absolvendi ; sed prior dicitur extendi & perfici. Et juxta hanc doctrinam Episcopatus non potest ulli conferri , quàm Sacerdoti , quia supponit Sacerdotium , & cum illo unum integrum & perfectum Ordinem constituit , perfectum nimirum Sacerdotium. Sylv. Verbo Ordo. Henric Bon. &c. Adde quod Ordines distinguantur per diversam potestatem , quam tribuunt circa Eucharistiam ; Episcopus autem circa illam non habet majorem potestatem quam simplex Sacerdos ; sed tantum potest conferre duo Sacramenta Confirmationem & Ordinem , quæ non potest simplex Sacerdos. Præterquam quod hac ratione salvetur septenarius numerus Ordinum passim in Ecclesia receptus , qui numerus rectissime sumitur ex diversis actibus , quos singuli Ordines exercent circa Eucharistiam :
nam aliqui versantur circa il-
lam

lam vel consecrando, ut Sa-
cerdotes, vel propinquius mi-
nistrando, ut Diaconi, vel
præparando sacra vasa ad
Missæ Sacrificium, ut Subdia-
coni, vel præsentando aquam
& vinum, ut Acolythi, vel li-
berando obsessos à Dæmone,
ut Missæ interesse possint, ut
Exorcistæ, vel Læctione sacrâ
præparando fideles ad devotè
assistendum Sacrificio, ut Le-
ctores, vel arcendo infideles,
aliósque qui dignè sacris in-
teresse nequeunt, ut Ostiarii.
Interim non est improbanda
opinio Valentis Tom. 4. disp. 9.
quæst. 1. & aliorum docentium
Episcopatum esse Ordinem à
Sacerdotio distinctum, utpote
per quem confertur specialis
potestas circa Eucharistiam,
nimirum potestas creandi Sa-
cerdotes, quæ et si non sit im-
mediatè circa Eucharistiam,
est tamen mediatè, ipso nimi-
rum mediante Sacerdote, cui
Episcopus tribuit potestatem
conficiendi Corpus & Sangui-

Munia sin-
galorum
Ordinum
circa Eu-
charistiam.

Non est
improba-
bile. Epif-
copatum
esse Ordine
nem distinc-
tum à Sa-
cerdotio.

8 De Essentialibus

Hinc non
rectè infer-
retur esse
plures
Ordines
quam se-
ptem.

nem Christi. Quæ ratio si te
fortè convincat, non idcirco
contra cõmunem usum dicas
plures esse Ordines quàm se-
ptem. Nam Ordines qui pro-
miscuè & ordinariè conferri
solent, non sunt nisi septem:
& de his, ut rectè notavit Fill.
sermo esse solet, quando dici-
mus septem esse Ordines. Epi-
scopatus enim non promiscuè
& ordinariè, sed admodum
paucis & rarè conferri solet.

CAPVT III.

*Explicatur, quinam Ordines
dicantur Sacri, & utrum om-
nes sint Sacramenta.*

OMnes quidem Ordines
sunt Sacri & ad cultum
divinum deputati; tres tamen
Majores dicuntur ab Ecclesiâ
Sacri ob annexum votum so-
lemne castitatis, per quod su-
scipientes plenius & perfectius
consecrantur Deo; nominan-
tur autem Majores, quia
Majo-